[...]
filiis uestris, Et non queratis pacem eorum & prosperitatem eorum
usque in aeternum, Ut confortemini & comedatis quae bona sunt
terrae, Et heredes habeatis filios uestros usque in saeculum,
Et post omnia quae uenerunt super nos in operibus nostris pessimis & in de
licto nostro magno quia tu es deus noster Liberasti nos de ini
quitate nostra & dedisti nobis salutem sicut est hodie ut non
conuerteremur & irrita faceremus mandata tua Neque
matrimonia iungeremus cum populis abominationum istarum,
Numquid iratus es nobis usque ad consummationem dimitte
nobis reliquias ad salutem; Domine deus israhel iustus tu quoniam dere
licti sumus qui saluaremur sicut die hac, Ecce coram te sumus
in delicto nostro non enim stare potest coram te super hoc; Sic ergo
orante ezra & inplorante eo & flente & iacente
ante templum dei, Collectus est ad eum de israhel coetus gran
dis nimis uirorum & mulierum puerorumque; Et fleuit populus
multo fletu, Et respondit sechenias filius hiehiel de filiis
elam & dixit ezrae, Nos praeuaricati sumus in deum nostrum & duximus
uxores alienigenas de populis terrae & nunc si est poeniten
tia in israhel, Su[illegible] foedus cum domino deo nostro ut proicia
mus uniuersas uxores & eos qui de his nati sunt iuxta
uoluntatem domini & eorum qui timent praeceptum domini nostri secundum legem
fiat, Surge tuum est decernere nos quoque erimus tecum confor
tare & fac, Surrexit ergo ezras & adiurauit principes